



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Therothermae, siue Aqvae
Ferinae**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1499

IV. D. Georgio Friderico, Marchioni Badensi, & Hochburgio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12416

Nec longo pietas tanta evanescet in eis:

Et talis meriti gratia maior erit.

Tu modo, quæ mitto, lege carmina fronte serena,
Inclite Dux: animi pignora certa mei:
At laudes admitte tuas, laudesque tuorum:
Sic dabis ingenio vela secunda meo.

II.

Ad D. Iacobum, Marchi-
onem Badensem.

A Ioue principium princeps, finemq; IACOB E
Iustus habet: metui vult, & uterque coli.

III.

Ad Aquas Ferinas.

O temperatæ, dulce nymphæum, lymphæ:
Lymphæ, potentis blanda dona naturæ:
Snu beato Martiana quas vallis
Profundit: apri prodit as feri quondam
Vestigijs, ripas ad Entij sacras.
Saluete ter, quaterque, cum sacris Nymphis
Saluete. vos ut mille versibus laudem:
Laudabo nunquam vos tamen satis dignè:
O temperatæ, dulce nymphæum, lymphæ.

IV.

D. Georgio Friderico, Mar-
chioni Badensi, & Hochburgio.

A 4 Magna

Magna ducis virtus bonitas: spes inde, fidesque
Et constans populi progeneratur amor,

V.

Ad D. Ludouicum Princem VVirtebergicum, & Teccium.

Sit quamvis bona, non omnis fert omnia tellus:
Alterius gens sic altera poscit opem.

Lydia sic aurum: sic aes, ferrumque Corinthiæ
India sic nitidum sponte ministrat ebur.

Sic fruges Libye, vites Campania, poma
Media: sic mel fert Attica terra bonum.

At tua, Dux Ludouice, tibi fert omnia tellus:
Quamque potest, alijs fida ministrat opem.

Dives opum tellus: pecoris quoque diues, & agri
Magna, potensque satis censibus, atque viri.

Illuc arua Ceres, iuga Bacchus, pascua Phœbus,
Pan campos, silvas sponte Diana colit.

Ipsa Pales herbas pecori, lac sufficit agnis:
Et saltus Dryades, Oreadesque colunt.

Turrigera Cybele caput hic onerata corona
Cernitur: & Nymphis Gratia juncta suis.

Quid latices memorem sacros, Baiaeque salubres
Quid venas ferri, quas parit omne solum.

Sunt hæc magna quidem: sed longè maxima: terrena
Quod colit hanc, sancta cum Pietate, Themis

Quodque